

HISTORIARUM INDICARUM LIBER TERTIUSDECIMUS.

TRANQUILLA tum Lusitano res erat Indica, finitimis tyrannis dynastisque partim vi ac metu subactis, partim etiam æquo foedere in amicitiam ac societatem adscitis; cum repente periculosum & grave bellum, unde minime putabatur, exortum est. Ejus belli concitator ac princeps fuit Sofar, qui post foedum ab urbe Dio Solimani discessum, pacemque redditam Lusitanis, nunquam animum remiserat a colligendis per otium viribus, quibus, ubi maturum esset, ad eorum perniciem uteretur. Sex amplius annorum spatium liberum in omnes apparatus habuerat. Quo tempore ita sese in Mamudii adulta jam ætate Regis gratiam insinuarat, ut omnium arcanorum non particeps esset modo, sed pæne moderator & arbiter. Ac simul animum adolescentis, & suo ipsum dolore, & muliebribus jam sat incensum facibus, ad ulciscendos avunculi Badurii manes, delendumque ex India Lusitanum omne nomen, miris artibus incitabat. In eam rem, præter veteres copias, novos quotidie variis e nationibus milites, ducesque belli peritos, ingentibus præmiis evocabat Rex. Iis in disciplinam tyrones & collectitii tradebantur: fabrum, artificum, ac munitorum multitudo quam maxima cogebatur. ac præter cæteros, architecti etiam & machinatores egregii quinque a Byzantio urbe conducti, menstruo in singulos trecentorum aureorum pacto stipendio. armorum ac tormentorum omnis generis officinæ locis idoneis per amplæ institutæ. Solicitati occultis legationibus Indi Reges ac principes ad puniendas injurias, & recuperandam maris possessionem, quam latrones pauculi, specie mercaturæ subreptam, aliena magis ignavia, quam sua virtute obtinerent. Sibi esse certum ac fixum, primo quoque tempore Diensem arcem invadere. si una cuncti consurgant, libertatemque ac dignitatem, qua nihil prius debeat esse, tandem aliquando respiciant; tam exiguam profecto manum, tot sparsam præsidiis, ab ope domestica toto pæne terrarum orbe disclusam, mutui demum inter ipsos auxilii communione sublata, nullo negotio profus obrui & extinguere posse. Cum ejusmodi fere mandatis dimissi quoquo versus legati. Et omnia hæc interim clandestinis agitata consiliis, alto silentio tegebantur. Universæ comparationi, tantisque delectibus, probabili sane commento, prætendebatur imminens in singulos dies a Patanio Rege bellum, quicum propter vicinitatem, quotidianæ discordiarum causæ non deerant. Sofar, simulandi æque ac dissimulandi magister, tum vel maxime cum Lusitanis, honore verborum, officiis, humanitate certare. Neque vero callidi veteratoris fucum astutiamque inscite Mamudius imitari: quippe, tum suo ingenio tectus ac perfidus;

Aaaa 2

tum